



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Opvs De Ivdiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos & Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

§. 1. Quis Ordo C[a]elestinarum Annuntiatarum, & quæ illius Fundatrix?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45699**

C A P V T   X X X I I I .

Quantopere iudicia hominum, in aliorum factis censendi, errare possint?

D pietatem, in Ecclesia, excitandam, excitauit benignus Dominus nouam quamdam feminarum religionem. Nomen est feminarum Deo dicatarum, *Calestine Annuntiatae*; illud ab habitu, incedunt enim togâ candidâ & pallio cæruleo, seu cælestis coloris, testæ: istud habent à fine Fundatricis, cuius mens fuit, honorem Matris Dei, ab Angelo annuntiatae propagare. Ordinis huius Fundatrix fuit, Genuensis illa matrona *Maria Victoria*, quæ primùm An. Christi 1617. die 15. Decembr. viuere desijt. Vitam eius, Italico idiomate, copiosè descripsit quidam Pater Societatis nostræ, qui & confessarius illius fuit, *Ferdinandus Meltio* dictus, cuius librum Archiepiscopus Genuensis, mirabilium Sanctæ illius feminæ gestorum conscius approbavit: placuitque is ita, & tantos passim fructus tulit, ut non ita pridem in linguam Germanicam fuerit translatus, Coloniae impressus, & Serenissimæ Annae Catharinae Constantiæ Neoburgicæ Ducissæ dedicatus. Fuit illa Maria Victoria non tantum nouæ Religionis institutrix, sed etiam eum Ordinem condidit, in quo absolutissima humanæ perfectionis imago reluceret. Sanctitatem huius feminæ Deus grandi bus miraculis claram fecit, sed ad sanctitatem, illam, per vias varias, rectas tamen duxit.

Primùm cùm esset ab ineunte ætate incitata, ad Deo, in religioso Ordine, seruendum, inscia Angelo Stratæ nobili iuueni est à parentibus desponsa, cùm adhuc 17. annorum puella esset; cui proinde magis parearum, quæ sua voluntate, nupsit. Quid ibi sanctè egerit, aut aduersi sit passa, longum esset enarrare. Neque quidquam dicam eorum, quæ postea sacrarum mulierum antistita, in cœnobio, vel mirabiliter, vel laudabiliter egit. Vidua facta, & coniugatas, & viduas docuit, & omnis generis homines, qua via ad cælum sit tendendum. Non enim satis habuit, non vagari per domos, non ferre discordias in vrbe, non otia, aut subducere se à consortio virorum; sed illud secum serio perpendit, quod Christus viuorum ac mortuorum futurus iudex, ad pios im-

I.

II.

B b b                      piosque